

Quod autem dixit Apostolus: Nunquid non audierunt: In omnem  
*Ad Rom.* terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum:  
10,18.  
*Ps. 15, (19.)* quamvis locutus sit præteriti temporis verbis; tamen quod futurum fue-  
5. rat, dixit; non, quod jam factum atq; completum: sicut ipse Propheta,  
 quo usus est teste, non ait: In omnem terram exiturus; sed exiit, inquit,  
*Psal. 21,* sonus eorum: quod utique nondum factum erat: quale est etiam illud:  
(22,) 17.  
 \* *Al.* tamē *vitius.* Sed ne istas tantum Propheticas locutiones, non Apostoli-  
*I. ad Tim.* cas, fuisse credamus; nonne idem Apostolus ait: Quæ est Ecclesia Dei vi-  
3, 15, & 16. vi, columnæ & firmamentum veritatis. Et sine dubio magnum est pietatis  
 sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum in spiritu, appa-  
 ruit Angelis, predicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum  
 est in gloria? Nempe manifestum est, hoc, quod in extremo posuit, eti-  
 am nunc nondum esse completum: quanto magis tunc, quando ista di-  
 cebantur? Ecclesia quippe tunc assumetur in gloria, quando dicetur:  
*Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum:* & tamen tanquam factum  
 fuisset, hoc dictum est, quod certò sciebatur futurum.

369. Multo minus mirandum est, quod etiam verbis præsentis tempo-  
 ris usus est in eo, quod illum identidem dixisse memorasti: Propter spem,  
*Ad Colos.* quæ reposita est nobis, quam antè audistis in verbo veritatis Euangelii, quod  
1,5. advenit in vos; sicut & in omni mundo est fructificans & crescens; quam-  
 vis Euangelium nondum tenebat universum: sed fructificare illud in  
 universo mundo dixit & crescere, ut ita significaret, quo usque fuisset fru-  
 ctificando & crescendo venturum. Si ergo latet, quando Ecclesiæ fru-  
 ctificante atque crescente universus omnino à mari usque ad mare or-  
 bis implebitur; procul dubio latet, quando finis erit: antè quippe non  
 erit.

Ut autem tibi, tanquam sancto homini Dei & sincerissimo fratri,  
 aperiam, de hac quæstione quid sentiam; error quidem in utroque vi-  
 tandus est, quantum ab homine vitari potest, sive citius, sive tardius,  
 quam futurum est, Dominus venturus esse credatur. Sed mihi quis-  
 quam non videtur errare, cum aliquid nescire se scit; sed cum putat sci-  
 re, quod nescit. Removeamus itaque de medio servum illum ma-  
*Matth. 24,* lum, qui dicens in corde suo; Moram facit Dominus meus venire; domi-  
48. natur cum servis suis, & ebriosis convivando miscetur: iste quippe  
*Luc. 12, 45.* procul dubio Domini sui odit adventum. Quo servo malo remoto,  
 \* *Al. ser-* constituamus ante oculos tres \* servos bonos, familiam Dominicam  
*vos, fam.* diligenter sobrièque tractantes, adventum Domini sui sicut inter deside-  
 rantes,